

**Dissertatio inauguralis pathologica qua hemicraniam sic dictam veram  
novo examini / subjecit ... Jacobus Süss.**

**Contributors**

Reil, Johann Christian, 1759-1813.  
Süss, Jakob.

**Publication/Creation**

Halae : Typis Jo. Christian. Hendelii, [1791]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/z2c wdaju>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS PATHOLOGICA

Q V A

HEMICRANIAM SIC DICTAM

V E E A M

NOVO EXAMINI SVBIECT,

ET QVAM

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN ACADEMIA HALENSI

PRAESIDE

IOANNE CHRISTIANO REIL,

MEDICINAE AC CHIRVRGIAE DOCTORE, PROFESS. THERAPIAE P. O.

SCHOLAE CLINICAE DIRECTORE ET CIVITATIS HALENSIS PHYSICO,

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

RITE OBTINENDO

DEFENDET

A V C T O R

I A C O B V S S Ü S S

G L A C E N S I S.

---

DIE XIII. OCTOBR. MDCCLXXXI.

---

HALAE,

TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELI.





§. I.

Qui hanc vel illam disciplinam siue addiscendam, siue aliis exponendam ac illustrandam sibi sumunt, eos (ut alias taceam, quae huius generis, non tamen loci sunt differentias) duplici via incedere video. *Alii* non nisi ea amplectuntur, quae prae ceteris omnibus verissima videntur, quaeque ad rem ipsam proxime faciunt atque usum, quem largiuntur, primo quasi adspectu facillime produnt. Atque haec quidem omnia in brevem epitomen ita redigunt, ut inde systema emergat breve, rotundum, omnibus numeris absolutum et, quod caput rei est, *nullo dubitationum genere turbatum*. Nihil enim magis fugiunt, quam quae ita sunt comparata, ut vel in utramque partem de iis disputari queat, vel longa indigeant et scrupulosa argumentorum aestimatione, unde, quid demum illud sit, quod prae ceteris probabile habendum sit, perspiciatur. Ex adverso huic respondet *aliorum* consilium et institutum, inquirendi nempe, perscrutandi, excutiendi omnes disciplinae locos; atque vel iis, quae diu, quin per aliquot saecula verissima habita fuerunt, suas quasdam dubitationes audaciter opponendi, dummodo ad argumenta perti-  
neant

neant, quae nondum satis in apicem sunt posita, sed novo ac strenuo quodam examine indigere videntur. Ab excitandis itaque *dubiis* ita parum abhorrent, ut potius omnem disciplinae spem positam esse intelligant in *dubitatione*. Hinc igitur aliis disciplinae partibus *dubia* quaedam saepissime interponunt, et refutatis subinde *pluribus* quibusdam hypothesebus, neque ulla alia eaque nova sententia substituta, propter illud tamen negotium bene peractum sibi gratulari quin passim boni quid his praestitisse fateri non dubitant. Movent *dubia*, ac scholae suae alumnos incertos relinquunt, quin forte de disciplinae incertitudine atque de vago institutionum genere querentes ac gemibundos. Evitare haec sane potuissent, si prima, quam dixi, methodus ipsis placuisset. In hac enim *dubiis* locus nullus est. Patet duntaxat certis quibuscunque rebus atque in usum proxime vocandis. Iam vero isti forte reponunt: illa methodo ab assentiendi levitate ad investigandi et cogitandi solertiam quemvis posse egregie revocari; non esse, quae habentur, verissima; et ita certe maxime excitanda esse ingenia aliorum, ut minime sufficere videntur nostra. His alii respondebunt: multis, quae in medium proferuntur, *dubiis*, tyrones turbari; ita multas esse veritates, quibus carere non possumus, ut his potius tempus sacrare deceat, quam aliarum rerum, quae longiori meditatione egent, investigationi; atque *dubitationum*, quibus nimis diu et saepe indulgere solemus, eam vim esse, ut malam quandam *dubitandi* consuetudinem tandem inducant.

Motam hanc controversiam paucis componere, neque in animo est, neque fieri id posset propter ipsam rei naturam. Vaga enim esset omnis hac de re disputatio, nisi *plura* distinguere velis. Sed liceat in universum monere: in addiscenda aequae ac explicanda medicina, *non levis momenti* esse quaestionem: *qui iusti sint limites, circa ea, quae dubia sunt, vel investiganda vel saltem in medium proferenda?* Ab utraque enim parte deflectunt. *Dubiis* alii nimis indulgent; scrupulose singulas quasdam disciplinae, easque maxime obscuras partes animo persequuntur, negligentes alias, inprimisque omnis scientiae cognitionem quandam fundamentalem, systematicam, selectam, suis viribus, aliisque, quae circumstant et fortuita sunt, accommodatam. Alii contra rotundum illud ac absolutum systema, cuius paucis superius memini, unice amplectuntur, et quamvis neque de hebetudine neque de aliis, quae fortuita sunt, im-

impedimentis queri possint, nihilominus tamen ab omni, quae paululum subtilior est, propria meditatione penitus abhorrent, et methodum aliorum, quos disciplinae partes strictim persequi atque de multis *dubitare* audiunt, ita pessime ferunt, ut his nomina impertiant malae notae, hominis verbi gratia *sceptici* aliaque. Ego certe, si ex me quaereres: *ubi dubitandum* esse existimem? ibi, responderem, ubicunque *veritas* non satis affulget; siquidem vero quaestio moveatur: *ubi* in medium proferenda sint ista dubia, vel animo pervolvenda? ad *multa* certe *alia*, scientiae v. g. naturam, tyronum finem, ingenium, aliaque respiciendum esse. *Aliud* enim est: dubitationi locum esse, *aliud*, dubitationibus indulgere, *aliud*, easdem in medium proferre, *aliud* denique prohi dolor! easdem componere et remove. Sed mitto haec, ut unum proferam exemplum, ubi in *medicina* a *dubitationibus* quodammodo *temperandum*, aliud, ubi *iisdem* magis *indulgendum* esse existimem. Illud a *systemate* aegritudinum *naturali*, hoc autem ab alio huius generis *systemate*, *pathologia* sic dicta *symptomatica*, nec non de *Physiologia*, *eiusve* certe *quamplurimis partibus* repetere poteris. In *systemate naturali* *febres* distinguimus *nervosas*. Multa supersunt dubia, quae huius generis febrium spectant theoriam. De his autem non adeo tibi liceret sollicitum esse, ut propterea locum *iisdem* denegare velis in *systemate naturali*. Nimirum pars theoriae, quam bene de hoc febrium genere cognitam habes, hoc fere momento absolvitur: esse febrium genus, in quibus motus et affectiones nervorum arte quodammodo mutabiles *ideo* sistunt causam aegritudinis febrilis therapeuticam, quod istae nervorum conditiones causam absolvent aegritudinis permanentem. Et haec quidem febris notio in tuum, medici nempe artificis, usum sufficit. Consideranda autem est omnis haec notio tanquam *adminiculum* praxeos ac theoriae hodiernae (ein einflussweiliger Behelf unsrer Vorstellungs- und Handlungsart), quippe quo citius carere non poteris, nisi forte aliquando causae, quae istas nervorum conditiones inducunt, non solum detectae fuerint, sed ita quoque comparatas eas esse perspexeris, ut et signis cognosci et arte impugnari queant. Donec vero haec praestiterint medici (id, quod respectu quarundam febrium nunquam valebit, quippe quae semper dicto respectu pro nervosis habendae erunt) ista cognitione, cum usui quotidiano accommodata sit, frui, *dubia* vero, quae huc nihil faciunt, mittere decebit. De *systemate* enim aegritudinum *naturali* simile iudicium ferrem, quod ferre placuit celeberr. *Platnero* de *physiologia*.

Est, inquit, probabilis de natura hominis disputatio, unius medicinae usibus et praeceptis accommodata. Quod quidem dictum, iis, quae hucusque exposui, nisi me omnia fallant, omnino est consentaneum. Demonstrationibus, quae necessaria conclusione perficiuntur, neque in Physiologia, neque in alia medicinae parte videtur esse locus. Hinc fugiendum ad *probabilitatem*, eaque fruendum est. Sit vero *disputatio*, sit locus *disputationibus*, quod supra monui, ut proxime singula evehamur ad *veritatem*. In *practica* autem *medicinae* parte a *dubitationibus* subinde *temperare*, sapientis erit medici artificis. Ita enim v. g. *systema* aegritudinum *naturale* laudabilis quaedam habenda est morborum dispositio, causis eorundem therapeuticis, unius itaque medici artificis, usibus accommodata.

## §. II.

Quam paucis tetigi quaestionem de iusto loco et modo *dubitationum* in explicanda vel addiscenda medicina, dignam quidem esse sentio, quae longe uberius, quam late ista patet, disquiratur; sufficiat autem monuisse: modo indulgendum iisdem esse liberalius quam quidem fieri id vulgo consuevit, modo autem ab iisdem magis esse temperandum. Hoc enim loco istam quaestionem ideo tangere placuit, ut, si aliis quibusdam usibus fides deneganda sit, quos ex brevi nostra de hemicrania commentatione redundare forte posse autumaveram, unum tamen certe momentum supersit, cuius respectu veniam dabit aequus ac benevolus Lector. *Dubitationem* nempe *movendam esse* putavi de *hemicraniae*, quam *veram* dixerunt, caractere. Is enim minime ita definitus est ab Auctoribus, ut de hemicrania *vera*, quam ita, veluti unum et definitum morbum vocant, loqui ipsis omnino liceat; id quod nec sine iure nec sine utilitate desiderabis. Missis itaque reliquis, quae huic dubitationi passim adieci, id saltem sperare potuisse mihi visus sum, fore, ut iis non omnino displiceam, qui causae superius (§. i.) laudatae patroni existunt, *dubitationum* volo, quae iusto loco moventur, neque modum, quem decet servare, excedunt.

## §. III.

Iam vero paucis praemittam, quae sint praecipua momenta, in quibus illustrandis pro viribus versatus sum in hoc specimine academico. Praemittam enim haec, ne forte diutius, ac par est, unum alterumve  
Lecto-

Lectorem detineam, de his forte, quae dicam, satis superque iamiam persuasum.

*Primum* itaque momentum *dubitationem* spectat, cuius memini superius. Auctores nempe de *hemicrania vera* passim ac saepius verba faciunt. Desideratur autem, me quidem iudice, huius aegritudinis vera ac genuina notio, ita nempe comparata, ut pro hac morbi definitione ea ratione de hemicrania vera loqui Auctoribus liceat, quae quidem eos hac de re loqui videmus.

*Aliud* quoddam momentum ad *characteres* pertinet, quos in *species* hemicraniae prae ceteris memorabiles cadere existimavi, et quos ideo in hunc usum collegi.

Iam vero huius generis aegritudines, quas quidem *species* vocavi hemicraniae prae ceteris memorabiles, a se invicem vario itidem respectu recedunt. Hinc itaque

*tertio* loco ponendum est aliud momentum, quod e sequentibus patebit: pro dictis nempe aegritudinum characteribus, de *hemicrania vera*, tanquam de uno eoque definito morbo speciali loqui te non posse, sed potius de pluribus, iisque tamen definitis et prae reliquis notatu dignis hemicraniae speciebus.

*Quarto* loco monendum esse putavi: e re tamen esse medicinae, dicta ratione quasdam huius aegritudinis species a reliquis distinguere. Non solum enim propter characteres, qui ipsis prae reliquis hemicraniae speciebus competunt, satis sunt memorabiles, verum etiam propter usum, quem medico artifice ex hac aegritudinum divisione haurire licet, ab omnibus reliquis separari merentur. Profluunt enim e fonte chronico, eoque certe ut plurimum abdominali.

*Quinto* denique loco periculum non immandum venit, quod alibi feci quodque eo, quod nunc dicam, absolvitur momento. Causam hemicraniae, prae ceteris notatu dignae, alii ab arthritide deduxerunt, alii a causa sympathica abdominali. Iam vero monui, utramque sententiam, seu potius argumenta, quae ab utraque parte in medium proferuntur, quatenus veritati sunt consentanea, non ea ratione differre aut sibi invicem repugnare, quae quidem hoc utique valere vide-

videtur utriusque causae patronis. Vtramque potius sententiam, suis, quibus necitur, vinculis conciliandam esse putavi.

Atque haec quidem sunt praecipua, quamvis non omnino dicto ordine, passim tamen, quae sequuntur, paginis quodammodo illustrata.

#### §. IV.

Qui huius loci est, capitis dolor, hemicrania dictus, unum duntaxat capitis latus, infestat: frontem potissimum, oculum atque regionem sic dictam temporalem.

In speciebus autem hemicraniae prae ceteris notatu dignis (ut characteres earundem quosdam praemittam), dolor satis vehemens aegrum exercet; tempore plus minusve definito saepius recurrit; aegritudini debetur, quae propriam quasi sedem in corpore figit, eique inhaeret, quamvis nullo praesente capitis dolore, quippe qui nihil aliud sistit, quam mali, quod subest et chronicum est, singularem quemdam effectum, paroxysmorum forma subinde praeprimis conspicuum; a causis solitis, quae cephalalgiam vel inducere vel levare solent, multo minus mutatur, sed ita singulari atque ut plurimum ita constanti quadam ratione incedit, ut facilis sit ad eius causam conclusio, ad aegritudinem volo, quae subest chronicam, atque in alias easque varias mali conversiones pronam, siquidem solitae huius mali accessiones, sub forma nempe hemicraniae plus minusve definitis temporibus revertentis, conspicuae, a sueto suo tramite deflectant.

*Haereditariam* quandam in hunc morbum proclivitatem haud raro subesse, plures suadent observationes. Eodem enim correpti subinde fuerunt pueri annorum vix septem vel octo, causis occasionalibus, quae citra notabilem quandam dispositionem malum inducere potuissent, neutquam praegressis. Nisi vero labes huius generis haereditaria locum habeat: malum fere ab anno aetatis decimo tertio invadere, et saepius non nisi post annum quinquagesimum, quin sexagesimum et quod excurrit, quoad paroxysmorum vehementiam notabiliter sese remittere consuevit.

Paroxysmorum vehementia, numerus, duratio, atque symptomata quae praecedunt, paroxysmis socia sunt, eorve excipiunt, non una ratione se habent.

In multis verbi gratia, qui hoc morborum genere laborarunt, sensus quidam frigoris praevisus fuit et unum capitis latus afflixit. Excepit hunc dolor, per duas fere horas increfcens atque tum per spatium aliquot horarum continuus. His focia vel pedisequa fuere: virium imprimisque sensuum languor, uti amblyopia et dyscoia, motus difficiles seu adynamia; summa quaedam partis affectae sensilitas sive teneritudo; symptomata a consensu partium profecta, oculis verbi gratia auribusve molesta, ut lachrymatio siue aurium susurrus; caloris quidam sensus pinnis narium maxime molestus; tumor subinde faciei; denique vomitus, qui scenam saepissime clausit, somnoque saepius exceptus fuit, quo tandem plurimi expergescunt sunt novo quodam sanitatis sensu perfusi.

Neque vero haec unica est mali forma, quemadmodum a nonnullis male relatum esse video. Est quoque alia in aliis; inferius commemoranda. (§. 5.)

Singuli paroxysmi spatium subinde sibi vindicarunt trium fere quin septuaginta sex et quod excurrit horarum. Per annum comparuerunt huius mali accessiones modo quatuor, modo triginta sex. In iis enim, quae huius potissimum loci sunt, hemicraniae speciebus, numerus paroxysmorum rarius dictum excedit, sed rarius quoque dicto est inferior. Atque hac quidem ratione omnis aegritudo per annos saepius duodecim, quia per multo plures aegros vexavit.

Sacerdotem quemdam e Divi Dominici familia nulloquoque die Lunae hoc malum excruciauit; quemadmodum retulit *Salius Diuersus*. Per horas circiter triginta atrocissimus dolor aegrum invasit atque hac ratione per tres annos et septem menses continuavit. Finitis tamen singulis paroxysmis optima frui visus est sanitate.

Feminam quandam post partum is dolor invasit atque per quinque annos omni hora vexavit per quartam horae partem. Hinc malum dictum est hemicrania horologica a *Ioanne Lunckero*\*), rarissimae huius aegritudinis observatore.

Saepius itidem mane is dolor comparuit, versus meridiem imprimis viguit, sole autem, ut aiunt, declinante, sese remisit aut omnino evanuit. Hinc etiam *morbi solaris* nomine passim celebratur, vel ideo tamen incongruo

\*) Diff. de hemicrania horologica. Hal. 1747.

gruo, quod in aliis circa vesp̄eram, quin passim temporibus nullo modo definitis ac regularibus observantur mali accessiones.

### §. V.

Alii dolore statim atrocissimo subito corrip̄untur, ut eius vix ferre queant vehementiam diebus, quae sequuntur. Hinc cerebrum itidem vehementer afficitur, ut sensibus aequae ac animi viribus magna vis inferatur. Aegri nec lumen adspicere, nec minimum strepitum, aliosve corporis motus sine manifesta laesione perferre possunt. Passim in latere capitis dolente atrophia quaedam denique observatur, animadvertente cl. *For-dyce*. Simile quid passim contingere constat in simili quadam, itidem nempe dolorifica aegritudine, trismo sic dicto faciei dolorifico. In hoc enim malo ita quoque subinde mutatur faciei pars sive dextra sive sinistra ut, si ab utraque hominem adspexeris, duorum hominum facies conspexisse tibi videaris.

Malum quoque subinde pertinaciter aegrum tentavit citra omnem haereditariae dispositionis suspicionem, ab anno verbi gratia aetatis octavo ad septuagesimum usque. Id, quod seorsim moneo, ne illud, quod de haereditaria dispositione monui superius (§. IV.) errorem inducat.

Vomitus, symptoma illud in singulis paroxysmis frequentissimum, saepissime in aegri salutem cedit, et criticum est respectu singuli cuiusvis paroxysmi; quamvis etiam subinde non nisi a consensu partium proficiatur, et nihil omnino inducat levaminis. Omnibus ac singulis paroxysmis, quamvis mirifice multis et per omnem fere vitam periodice revertentibus, finem tamen subinde constanter imposuit. Sunt vero etiam pertinacissimae huius generis hemicraniae species, ab anno verbi gratia aetatis octavo ad septuagesimum usque aegrum excruciantes, ubi nulla comparuit huius generis per os excretio.

Sinistrum capitis latus dextro frequentius affici, monuerant plures. Quin causis huius rei explicandis operam navasse nonnulli videntur. Sed fateor, aegre me ferre iudicium de hoc, aut alio, quicumque similis est, pathologorum calculo. Ita enim, ut haud absimile dicam exemplum, idem monuerunt de pleuritide, atque de malo hysterico. Sed aegre eiusmodi calculis inhaereo; *primum*, quia utrumque corporis latus frequentissime

sine his malis afficitur, neque ideo permagna, sive notatu mirifice digna subesse potest differentia. Fac enim mille homines pleuritide corripitur in dextro, mille autem et quod excurrit in sinistro pectoris latere: quid est, quod in huius generis differentiam scrupulose inquiras? Tum vero, siquidem inquiras, inquirendum est exactius. Id quod fieri non potest, nisi huius generis paene innumeras observationes in hunc finem collegeris, ut vera deinde atque exacta institui queat comparatio. Desiderantur autem haec apud eos, qui de his rebus iudicarunt. Fatendum tamen est, circa sinistrum capitis latus, in hemisphæria frequentius affectum, quamplurimos observatores consentire; circa pectoris autem latus in pleuritide frequentius affectum multo magis a se invicem recedere; ideoque ea, quae huius generis calculo reposui, praeprimis cadere in pleuritidem.

Passim quoque alterum capitis latus simul afficitur, eo autem, quod solitam morbi vim experitur, multo levius. Quin etiam in casu rariori perpetua quaedam ac regularis observata fuit commutatio, ita ut prima quavis mali accessione dextrum, secunda quavis sinistrum capitis latus dolore correptum fuerit. Id quod v. g. expertus est cl. *Wepfer*.

#### §. VI.

Symptomata, quae singulis paroxysmis sive praevia sunt, sive socia sive denique pedisequa: spectare potissimum videntur vel ad officinam digestionis laesam, vel ad nervos imprimisque dolorum effectus, quorum particeps est systema nervorum atque vasorum, quibus sanguis movetur, vel speciatim ad excretionem criticas, vel denique ad ea, quae multo magis sunt accidentalia. De singulis quaedam adiiciam.

Praeter ea, quorum iam supra feci mentionem: haud raro praecedunt: addephagia, nausea, vomituritio, quin ipse subinde vomitus; sensus frigoris, cardialgia, horror subinde rerum, quas alias aegri appetere solebant, uti fumi tabaci, aliorumque.

Ab alimentis subinde levamen quoddam, quamvis non nisi temporarium, experti sunt aegri: id, quod rarum non est in aegritudine gastrica, chronicae praesertim iadolis et frequentiori quidem sed leviori primarum viarum conspurcatione nexa.

Pulsus in paroxysmi vigore magnam frequentiam produnt celeritudinem atque duritiem; vomitu autem insequuto subito remittere consuevit ista pulsuum conditio. De effectibus dolorum consensualibus superius dictum est.

A vomitu saepissime salus. Adieci tamen, quae huius loci est, limitationem superius. Apud alios autem aliae subinde excretiones singulos paroxysmos solvere visae sunt. Pertinent huc v. g. sudores copiosi; haemorrhagia narium; et lachrymarum, quibus insignis quandoque fuit acrimonia, profluvium ex oculo et nare lateris affecti. Quin passim, sed certe in casu rarissimo, non solum unus alterve paroxysmus, sed omnis, quae subest, aegritudo, huius generis excretionibus sanata esse videbatur. De hemicrania feminae cuiusdam memorabile retulit exemplum cl. *Becker* fluxui menstruo semper praevia, atque spontanea arteriae temporalis ruptura tandem sanata. Aliud est *Riverii* exemplum, quod spontaneam spectat sanguinis per oris labia excretionem eamque in aegri salutem cedentem. Ars tamen simul auxilium tulit, secando venas. A sudoribus, praecipuis partialibus, quae in ipso paroxysmorum vigore, sive ad finem eorundem, quin passim his superatis, atque in latere praecipuis affecto observantur, non ita facile salutem speres. Raro enim hanc portendunt, et omnium minime, si lassitudo eodem excipiat manifesta.

## §. VII.

Circa omnes huius mali paroxysmos constantia quaedam et ordo observari solet, sive tempus spectes, quo hominem invadunt, sive symptomata, quae istis focia sunt, praevia atque pedisequa.

Causis enim solitis, quae alios capitis dolores siue inducunt, siue levant, in hanc morbi speciem *suetum imperium* non est. Saepius enim nullae praecedunt, quae manifestae sint, causae paroxysmi occasionales, et nihilominus tamen mali accessiones reverti observantur constanti quadam nec facile mutabili ratione.

Et ab hac quidem animadversione non aliena est ad causam, quae subest, propriam ac chronicam, conclusio, pluribus tamen inferius exponenda.

Subinde tamen paroxysmos induxisse visae sunt causae externae et magis manifestae. Observatum id est ab hypocauti calore; a refrigeratione pedum; ab affectione narium his illisque, quae gravem odorem spirant, particulis inducitur; a cibis acidis aliisque; atque a potu vini et similibus quibusdam causis, quibus vis inest, officinam digestionis, praeter naturam constitutam, nervos, vel sanguinem commovendi atque turbandi.

Taceo, quae passim in uno alterove huius generis aegro supervenerunt symptomata, quippe quae multo minus solitae huius aegritudinis naturae nexa sunt, sed accidentalia. Sunt huius generis diplopia, motus brachii convulsivi, aliaque.

Superatos huius mali paroxysmos perfecta subinde sanitas excipere videtur. Videtur inquam. Rem enim, si exacte loqui velis, longe aliter sese habere, satis superque patebit ex ipsa causarum, quae in hac aegritudine latent, consideratione.

Graves tamen paroxysmos notabilis virium iactura ac singularis quaedam partium, quae affectae fuerunt, teneritudo sive sensilitas insequi solent. Accedunt passim alii, praecipuis nervorum affectus, sensus v. g. formationis digiti molestus, sensum ad collum usque propagatus, et trismo denique exceptus. Et haec quidem omnia nec non ipsam hemicraniam, vomitu bilioso fugata esse, *Pisonis* est observatio.

Denique, ut singulorum paroxysmorum vel omnis, quae subest, aegritudinis sequelas, passim certe obvias, perspiciamus: ad singulares quosdam anomalias, quae in hanc aegritudinem cadit, effectus, atque ad alia quaedam respiciendum nobis erit, de quibus iam dicam seorsim.

#### §. VIII.

Hemicraniae species, quae prae reliquis sunt memorabiles corporis quandam aegritudinem sibi vindicant, quae non semper solita ratione, hemicraniae nempe singulis ac dictis paroxysmis, sed *anomala* quadam, hoc est, insolita atque in aegri perniciem vergente, ratione conspicuam sese subinde praebet. Dicendum itaque *primum* erit, quae ad anomalas huius mali conversiones referenda sint? *tum* vero, qui  
sunt

sint huius illiusve anomaliae effectus? *denique*, quae sint causae inducendis his mali conversionibus pares atque idoneae?

Itaque ad anomalas huius aegritudinis commutationes referenda sunt, quae dicam:

- 1) si dictae hemicraniaeparoxysmi a *solita sua frequentia magis remittunt*, quam pro causis quibusdam, quae in corpore adhuc latent, fieri id potest quin aeger detrimentum inde capiat. Paroxysmi itaque *nimis raro* aegrum invadunt.
- 2) si paroxysmi *plane non amplius comparent*, praesente tamen simili quadam causarum conditione (n. r.). Respectu enim mali, quod subest, hemicraniaeparoxysmi, morbi, ut ita dicam eruptiones sistunt, quibus quidem vis aegritudinis, quae subest, vel imminuitur, vel certe tali ratione versus partes minus nobiles dirigitur, quae aegri salutem multo minus turbat, quam multae aliae, quae huius loco contingere possunt, mali conversiones.
- 3) si motus critici, olim versus finem paroxysmorum solemnes, nunc multo minori gradu eveniunt, quin forte nunc omnino desiderantur. Desideratur v. g., qui olim scenam semper clausit, vomitus salutaris.
- 4) si nondum comparuerunt hemicraniaeparoxysmi, quamvis iam lateat in corpore, quae huius loci est, aegritudo. Versus alias partes vis morbi, qui subest, dirigitur, eiusque effectus omnino insoliti eveniunt.

In quarto, quem dixi, casu varia quidem oborta sunt passim symptomata, eius tamen praesertim generis, quae nervis debentur male affectis. Ita verbi gratia vertigine per plures annos ac frequentissime vexabantur aegri, neque prius id malum aegros reliquit, quam post insultus, qui tandem comparuerunt, hemicraniaeparoxysmi. Narravit huius generis exemplum *Wepferus*. Tenuit enim vertigo puerum ad annum usque aetatis tricesimum; hoc autem anno locum ea fecit hemicraniaeparoxysmi.

Simili ratione mala ista symptomata, quae hemicraniaeparoxysmi olim solemnes tum vero impeditos, vel similem crismum perturbationem exceperant, mox itidem saepius evanuerunt, reversis, qui soliti erant, hemicraniaeparoxysmis, sive motibus criticis, circa eosdem olim observatis.

Im.

Impeditos autem huius generis hemicraniae insultus, vel crisis, quae circa eosdem eveniunt, perturbationem iidem mala nervorum prae ceteris frequentius exceperunt. Comparuerunt passim vitia pectoris, insultus verbi gratia dyspnoeae quin passim catarrhi suffocativi, neque raro sensus quidam constricti pectoris, aegrum fere ad modum anginae sic dictae pectoris subinde ac subito invadens; diarrhaea cum notabili virium iactura; spasmi musculorum faciei aliorumve, atque, ut generatim iterum moneam ac plurima complectar, mala potissimum nervorum. Referas huc amblyopiam quin perfectam subinde amavrosin, aliaque mala, quae nobilem istam oculorum functionem subinde turbant.

Taceo alios quosdam effectus passim quidem observatos sed longe rarissimos. Est huius generis cl. *Schobelt* observatio, ubi motus brachii sonitum edidit baculorum fractorum, quam quidem uberius expositam invenies in libro eiusdem inferius laudando.

#### §. IX.

Quae vero sint causae, quae dictis hucusque anomaliis (§. 8.) occasionem praebeant, inquirendum nunc erit. Iam, si ad singulas de hoc morbo observationes respexeris, huius generis causas manifestas atque externas saepissime desiderabis. Nam, cum animadverti non potuerint, ideo nec referuntur ab observatoribus. Hinc opus erit ratio cinio atque probabili quadam hac de re conjectura. Dictas anomalias praevias fuisse, tum vero mala sequuta esse, de quorum causis nunc disputamus, id certe ex ipsis observationibus satis superque constat. Eadem mala subinde induci videbantur diarrhoeis, febre, virium iactura, atque ventriculi potissimum debilitate. Haec enim singula passim praevia fuerunt. Iam si haec omnia perpendas, quae ex ipsis patent observationibus, hisque tum ea conferas, quae de causis horum morborum adiiciam inferius: ad causas quoque, quae ista mala, dictas anomalias insequentia, denum inducant, non ita ardua erit conclusio. Dicam, quae praecipua mihi videntur, singula momenta.

- 1) Propter illas, quas dixi, causas, vires naturae ita frangi possunt, ut motibus istis quodammodo criticis, quos ipse sibi vindicat regularis hemicraniae insultus, haud amplius sufficiant.
- 2) Fons, qui subest, aegritudinis, atque inferius pluribus illustrabitur, latius, ut ita dicam, serpere ideoque et plures corporis easque insolitas

partes, antehac nempe immunes itidem nunc afficere potest. Sis v. g. memor padagrae sic dictae inveteratae, cuius paene similis mihi esse videtur ratio. Partes enim, in quibus malorum quasi sentina per multos annos fuit, quaeque per multos annos irritamenta, aliis partibus molesta, saepissime generaverant, partes volo abdominales, nunc denique ipsae manifesta ratione laborant, aliisque partibus nunc parcent, olim saepissime, quin fere unice adfectis.

3) Irritamenta a chronico isto aegritudinis fonte profecta (n. 2.) nunc aliis partibus iisque insolitis vim possunt inferre.

4) Huic momento (n. 3.) illud potissimum favebit, quod nunc dicam seorsim. Proprius consensus nervorum, qui partem, ubi malum altam propriam ac chronicam sedem figit, et ipsum caput, intercedunt, mutationem forte subit, ut isti nervi sueta ac sympathica ratione affici, atque reagere nequeant; in aliis contra systematis nervosi partibus aliae forte contingunt mutationes, quae affectionibus sympathicis iisque insolitis mirifice favent. Neque tamen semper hac ipsa nervorum mutatione opus esse, concedo, ut dictos effectus intelligas. Pro mutationibus enim, quas ipsum mali fontem (n. 1.) subire monui, nova quoque irritamenta, hinc etiam insolitos horum effectus iure expectabis.

Atque his quidem mala ista potissimum deberi videntur, quae dictas anomalias sequi consueverunt. Ratum tamen posui in hac explicatione, iam cognitam tibi ac veram esse, quam paullo inferius adieci, de chronicis dictae hemicraniae causis, theoriam.

## §. X.

Mala autem, quae passim ab Hemicrania proveniunt, dictis eiusdem anomaliis non unice debentur. Plura sunt huius generis mala, citra omnem, quam dixi, hemicraniae anomaliam, passim conspicua. Proveniunt potissimum ab ipsa morbi gravitate, atque, ut speciatim dicam, ab immodica humorum congestione versus caput; a dolorum vehementia; a spasmis qui superveniunt, atque ab ipso fontis, qui subest et in abdomine latere consuevit, augmento. Hinc passim eveniunt: oculorum morbi, ipsa quandoque oculi ruptura; paralyses; visus, auditus sive olfactus ab.

abolitio; balbuties aliaque loquelaevitia; memoriae defectus sive debilitas; notabilis faciei, inprimisque oculorum mutatio, ut plane insolitus sit aegri (ab una potissimum parte) adspectus; symptomata primarum viarum, quibus et has et omnem, quam late ista patet, digestionis officinam graviter laborare luculenter perspicitur; quaeque sunt alia, his passim sociata vel epiphenomena.

### §. XI.

Hemicrania, quae huius potissimum loci est, paroxysmis certo respectu *salutiferum quid* (sc. criticum,) tribui posse: ex iis iam patet, quae monui superius (§. VIII.) Certo itaque respectu egregia, alio tamen reprehendenda mihi esse videntur, quae monuit cl. *Tissot* circa medelam huius morbi prudenter instituendam (in editione prima cl. *Ackermanni*, Abhandl. üb. d. Nerven etc. III. B. 2 Th. Leipz 1782. p. 516.) Cavendum quodammodo esse monet a sanatione hemicraniae p. 516. Sed opus erit, ut verba, quae huc faciunt, adiiciam. „*Ueberhaupt*, inquit, ist bey der Behandlung des *halbseitigen Kopfschmerzes* dies die erste Regel, daß man kein Mittel, um ihn zu heben, verordnen muß, wenn er nicht zu häufig ist, die Anfälle etwa monatlich nur einmal wieder kommen; wenn die Anfälle nicht so heftig sind, daß sich die Folgen von denselben befürchten lassen, von denen ich oben geredet habe; wenn die Kranken in der Zwischenzeit zwischen den Anfällen vollkommen gesund sind und der Magen seine Verrichtungen ordentlich thut.“ Haec atque similia quorum passim meminit cl. *Tissot*, laude singulari dignissima habeo, quod huius generis regulas praescribens *quaestionis* certe memor fuit, saepissime ab aliis neglectae: *quatenus nempe et ubi arte succurrendum sit nec ne?* Quam gravis autem haec quaestio sit in artis medicae exercitio: e *Therapia generali* bene constat. Ab altera autem parte monendum esse existimarem, *primum*, quod hemicraniae *generatim* mentionem fecerit dictus Auctor, non adiecta, qua opus est, limitatione. Relatio enim ista critica non nisi in quasdam hemicraniae species cadit. Simili ratione libro citato pag. 514. verbis certe usus est, quae dicto errori occasionem facile praebent. Recte enim a cl. *Ackermann*o versa ita sonant: „diese einzige Beobachtung ist hinreichend zu beweisen, daß der *halbseitige Kopfschmerz* eine kritische Krankheit ist, deren Unordnungen, wie sehr viele Thatfachen beweisen, allemal üble Folgen nach sich ziehen.“ Tum vero monendum erit, in

enumeratione conditionum, quibus praesentibus hemicraniae sanatio tentanda non sit, eam certe *conditionem* haud nominatim adieciſſe ei. Auctorem, quam quidem praeceteris omnibus audiendam eſſe exiſtimarem. Nihil nempe moliendum eſt arte ad praevavendos vel removendos hemicraniae, *quae huius loci eſt*, insultus: niſi ſymptomata ſuperveniant ſic dicta urgentia, et ſi illud ipſum cognitum non habeas, cuius *reſpectu* criticum quid tribuendum eſt dictis hemicraniae ſpeciebus. Conditiones itaque praeceteris memorabiles et dictis adieiſciendae ea verba ſpectant, quae literis diductioribus expreſſi. Cadit enim iſta admonitio in certas quasdam hemicraniae ſpecies; atque vel *his* remedia tua opponere bene liceret, ſi eam, quae ſub eſt, aegritudinem, et cuius *reſpectu* regulares iſti hemicraniae insultus criticum quid abſolvunt, datum eſſet, remove.

Adiicere tamen huic admonitioni placet: utique dictum Auctorem alia quaedam commemoraviſſe, e quibus ſatis ſuperque patet, in animo ipſi fuiſſe laudatam iſtam conditionem. Proxime enim addit „Ich ſehe nicht genug ein, worauf ein verſtändiger Arzt in einem Fall wie dieſer ſeine Heilungsanzeigen gründen kann.“

Quae itaque a Therapia generali praescribuntur, haec itidem tenendae ſunt regulae circa medelam huius generis morborum; eorum volo, quibus non niſi *certo reſpectu* criticum quid tribuendum eſt (die relativ-heilsamen Krankheiten und Ausbrüche derſelben.) Removeendum eſt id, cuius *reſpectu* pars quaedam aegritudinis ſalutaris habenda eſt; non vero quaecunque aegritudinis pars. Ideoque, niſi cognitam habeamus hanc aegritudinem, huius natura primum eruenda venit a pathologis, cum abſonum ſit, eius effectus certo *reſpectu* ſalutares arte quadam, medica impugnare. (Vid. I. C. Wilh Juncker's, Verſuch einer allgem. Heilk. II Th. Hall. 1791. p. 315. III Fall des Naturſtandes.)

## §. XII.

Hemicraniam itidem *contagioſam* eſſe, nonnulli monuerunt. Id quod nemini facile concederem; omnium vero minime, ſi de iis hemicraniae ſpeciebus ſermonem haberes, de quibus in hoc libello diſputare conſtitui. Quae enim iure quodam ab omnibus aliis diſtinguntur huius morbi ſpecies, quaeque igitur chronicae ſunt aliisque, quos vel dixi, vel dicam, characteribus ſolemnes: eae certe contagio haud propagantur. Sub eſt enim in his morbis quaedam corporis labes, multorum malorum, quae chronica ſunt, fons atque ſentina. Simile quid valet circa arthritidem

dem veram. Neque igitur iis facile credas, qui in alterutra aut simili quacunque morbi specie a miasmatis cuiusdam particulis tot ac tantas corporis mutationes induci posse fingunt. De alia quadam limitatione, quam placuit adiacere clarissimo *Tissot*, itidem dubitarem. Is enim monet, non nisi eam hemicraniae speciem contagiosam haberi posse, quae febribus intermittentibus, veluti symptoma, passim adiuncta est, et qualem ipse sustinuit cl. Auctor.

### §. XIII.

Iam vero inquiramus in causas, quibus species debentur hemicraniae prae ceteris notatu dignissimae? Erit tum simul occasio, exactius inquirendi in hemicraniam sic dictam veram, atque in eos characteres, quibus forte maiori iure uti licebit, ut quasdam hemicraniae species a reliquis omnibus distinguamus.

Optimos certe Auctores in causas hemicraniae inquirentes, singulare studium in eo ponere videbis, ut quasdam hemicraniae species ab omnibus reliquis distinguant, quippe quas certe in animo habent, ubi hemicraniae verae ac simili quodam nomine utuntur. Neque igitur alias hemicraniae causas ideo negant, quod non nisi hanc vel illam causam, hemicraniae causam dicunt. Dictum enim hoc esse volunt de quibusdam hemicraniae speciebus vel de una tantummodo huius morbi specie, quam prae omnibus reliquis considerandam sibi sumunt. Alias causas tum referunt ad hemicraniam accidentalem, vel alia quadam ratione ab iisdem denominatam. Verae autem, quam dicunt, hemicraniae causam alii a partium consensu repetunt atque ideo ventriculo aliisque a capite remotis partibus inhaerere putant, alii habent idiopathicam, ipsi nempe capiti infensam. Neque haec sola pars est theoriae, de qua varium est auctorum iudicium. Arthritidem verbi gratia in culpa esse, quibusdam placet, uti clarissimo *Fordyce*; de quo dubitant alii, uti cl. *Tissot*.

Iam igitur videamus, quomodo de his iudicandum sit? Vagam certe esse oportet omnem huius generis disputationem, nisi primum exactius definiveris, quo omnis fere nitiur haec controversia, quid demum illud sit, quod veram dicunt hemicraniam? De hac enim, sive de quibusdam hemicraniae speciebus sermonem hic esse, ante omnia tenendum est. Eamus itaque per singula.

Primum igitur moneo, illud ipsum definitum non esse, a quo omnis initium capit, quae huius loci est, controversia; hemicraniam volo

sic dictam *veram*. Liceat v. g. in examen vocare, quae hac de re monuit cl. *Tissot*. Is frequentissime nomine utitur *hemicraniae verae*, cui opponit *accidentalem*. An vero istius morbi posuit characteres, quibus fidem habere posses? Me quidem iudice desiderantur. Ne vero male me intelligant benevoli Lectores, id primum moneo: de characteribus morbi cuiusdam loquenti, non exacte *symptomata*, quippe quae in sensus cadunt, aut *signa* quaedam *sensibilia* et *diagnostica* in animo mihi esse. Posses enim aegritudinem quandam ex alia causa ab omnibus reliquis distinguere; alios posses constituere characteres, qui memorabiles essent neque aliter, nisi *ingenio* medici erui forte possent, habito nempe respectu ad omnem aegritudinis *decursum*, aliave. Itaque ne huius quidem generis characteres positos esse moneo a celeberrimo, quem dixi, Auctore. Quos enim passim commemoravit: definiti non sunt, sed ita vagi, ut sibi ipsis ex parte omnino repugnent. Posuit passim hemicraniae verae characteres, qui vel alius itidem competunt hemicraniae speciebus, quas tamen pro verae hemicraniae speciebus habendas *non* esse, ipse alibi monet; vel in aliis hemicraniae speciebus desiderantur, quas tamen ipse auctor ad veram retulit hemicraniem. Adiciam exempla, ne temere haec monuisse videar.

Pagina libri laudati 547 *vomitum* veluti characterem quandam, ponit, huc referendum. Insultus enim hemicraniae, quae *vera non est*, *nunquam* vomitu solvi monet. Id quod observationibus neutiquam est consentaneum. Neque enim profecto rarum est, hemicraniem quandam gastricam vomitu solvi, quamvis non nisi una vice hominem invaserit, neque ex ullo alio respectu similis fuerit istis hemicraniae speciebus, quas prae reliquis omnibus memorabiles habere licet. Solvuntur passim vomitu huius generis dolores, quos pro reliquis, quae circumstant, conditionibus, ne ipse quidem dictus Auctor ad hemicraniem veram relaturus esset. Accedit his, quod in hemicraniae casu, quem ipse *Tissotus* ad hemicraniem retulit veram atque haereditariam, nullus unquam observatus fuerit vomitus. Exeruciavit id malum chirurgum quemdam ab anno aetatis octavo ad senectutem usque, eumque tantis doloribus invasit, ut neque lumen, neque leves istos horologii motus in paroxysmi vigore perferre potuerit.

Subinde generatim *symptomata* differre monet in hemicrania vera. Ita v. g. pag. 541. Sed quae sunt ista symptomata, semper quidem in hemicrania vera, nunquam vero in aliis hemicraniae speciebus conspicua? In diu.

diudicando eodem hemicraniae casu, quem retulit cl. Schobelt, denique ad causam respicit. Addit enim: „wir sehen hier offenbar einen bloßen rheumatischen Schmerz.“ Nihilominus tamen pag. 549. dubitabundus addit: hemicraniam veram fortasse, sed multo rarius, a materie rheumatica seu catarrhali proficisci?

Ad solam mali *pertinaciam* provocare non potest. De casu enim hemicraniae, quam per undecim annos vixisse retulit *Fabri Hildanus*, dubitat p. 543. quin vera fuerit hemicrania.

An respici potest ad causas manifestas quae paroxysmos inducunt vel eorundem vehementiam lenire valent? Desiderantur utique huius generis causae in speciebus hemicraniae prae reliquis notatu dignis, uti iam supra monui; attamen non semper. (Vide superius §. VII. et confer. apud *Tissotum* l. c. p. 546. ubi ad causas provocat, quae proxysmum inducunt, vel leviores reddunt et pag. ib.: 535. n. 3.) Neque igitur huic criterio fides habenda est.

#### §. XIV.

Plus inest veritatis alio dicto, quod legimus pag. ib. 546-547. Respicit enim ad plura. Singula tamen, quae verbis seorsim expressis veluti *criteria* significantur, suis difficultatibus premi video. En! totum eumque praecipuum huius generis locum: „Wir sehen Flüsse an den Augen, der Nase, den Ohren, den Zähnen, dem Hals, die ihre Zeit und ihre bestimmte Dauer haben: ich habe aber niemals diesen genauen und ordentlichen Gang, diese vollkommene Einförmigkeit, diese allemal beständige Dauer die den halbseitigen Kopfschmerz charakterisirt, und vornehmlich, niemals diejenige Art von Schmerz, die dem halbseitigen Kopfschmerz eigen ist, an ihnen beobachtet; auch ist der Anfall solcher Flüsse niemals so schnell, die Dauer derselben niemals so kurz, und ihre Endigung niemals so plötzlich.“

#### §. XV.

Singulis his (§. XIII et XIV.) fides habenda non est. Colligenda vero haec omnia sunt, iisque ea adiicienda, quorum iam feci mentionem superius (minus v. g. imperium quod solitae et manifestae cephalalgiae causae in hoc dolorum genus sive inducendum sive leniendum exercent, aliaque) vel quorum proxime ad finem huius §phi mentionem faciam. Atque haec qui-

quidem omnia *criteria* quaedam *sensibilia* absolvent, quibus hemicraniae species prae ceteris memorabiles *dignosci* quodammodo possunt; inprimisque, si earundem paroxysmi iam plures conspici fuerint observatori, ad omnem aegritudinis *decursum*, *ortum*, atque *singulorum paroxysmorum finem* satis attento. Ipsa autem *differentia specifica*, cuius respectu species quasdam hemicraniae prae omnibus ceteris memorabiles habendas esse existimo, *sensibilis* non est, ita vero notatu digna, ut propter hanc, tanquam veram huius divisionis causam, distinguendae sint a medico artifice species quaedam hemicraniae. Absolvitur autem eo, quod dicam, momento:

*Subest morboſa corporis labes, chronica, occulta, ſubinde manifeſtis hemicraniae paroxysmis, veluti motibus quodammodo criticis, ſiquidem vero regularis hic morbi decurſus impediatur, aliis quae quin gravioribus malis, tempore autem intercalari in caſu poſſimum hemicraniae regularis, non aliis ſymptomatibus, ſed ingenio tantum medici, pro rebus quae circumſtant, rem omnem perpendentis, quae talis (veluti dicta labes) conſpicua.*

Observatur huius generis *capitis dolor*, ut paucis, quamvis barbare dicam, *femicriticus ex fonte aegritudinis chronico!* (Cfr. §. penult.) Cadunt in eum dicta criteria (§. XIV.) *multo magis quam in ullam aliam hemicraniae speciem*. In alia enim hemicraniae specie ista criteria *rarius et non nisi ex parte* (unum nempe ex iis alterumve) locum habere solent. Quo quidem additamento dictis criteriis (§. 14.) multum accedit veritatis. Denique, *quod caput rei est*, quodque inferius pluribus exponam, ista quam posui differentia medici artificis negotium dirigit ac facilius reddit, si quidem in causas inquirat, quae in definito hemicraniae casu subesse possunt, therapeuticas. Itaque, cum ista, qua usus sum, mali determinatio, adminiculum sit curationis, non est, quod pluribus evincam, ad distinguendas nonnullas hemicraniae species uti eadem licere. Fac enim, nulla hucusque cognita esse *signa*, quibus dictae causarum relationis praesentiam cognoscere queas, *monendum* tamen erit, *memorabilem* hanc causarum et ipsius hemicraniae relationem obviam venire; ideoque studendum esse, ut, *quae vere existit haec mali species* atque pro dicto et *rationali* quodam caractere definita est, suis quoque criteriis, *quae in sensus cadunt*, cognosci queat.

## §. XVI.

Generalem itaque characterem, cuius respectu hemicraniae species nonnullae eminere, a medico nempe artifice perpensae prae ceteris memorabiles esse videntur, a duplici momento repetendum esse existimavi. *Primum* a singulari *causae*, quae subest, conditione, fonte nempe chronico, antecedenti §pho (XIV.) *generatim* descripto, paullo post autem *exactius* inquirendo. *Tum* vero a *relatione* hemicraniae ad hanc, quae subest, corporis labem chronicam. Est nempe ista *relatio* quodammodo *critica*.

Ad *causam* itidem respexit cl. *Tissot* in constituenda hemicraniae, quam veram dicit, differentia; ea autem ratione, ut assentiri non queas. Ita v. g. libro cit. pag. 582. haec monet: Es giebt zufällige halbseitige Kopfschmerzen, die aber doch keine wahren halbseitigen Kopfschmerzen sondern Zufälle einer *Ursache* sind, die von der *Ursache* des wahren halbseitigen Kopfschmerzes sehr verschieden ist.“ Pro hac autem et simili quae passim legitur admonitione, recte concluderes, in ea hemicrania, quam dictus Auctor veram vocavit, non nisi unam ac definitam quandam causam subesse. Tum vero apud *eundem* Auctorem, praeter eam, quam frequentissimam esse putat, causam, aliam vides culpari, nempe plethoram (pag. 543–544), quin praeter hanc alias quasdam probabiles causas ab *eodem* Auctore proponi (p. 549).

## §. XVII.

Iam quaerunt: an caput afficiatur in dicta hemicraniae specie siue per sympathiam siue ab ipsa hemicraniae causa idiopathice? Alii hoc, alii illud defendunt. Ego certe utrumque fieri existimarem. In casu nempe hemicraniae, quem prae ceteris omnibus memorabilem dixi, fons aegritudinis subest abdominalis. Is causis hemicraniae, irritamentis v. g. inde oboritur praebet occasionem. Iam vero haec irritamenta, uti et morbi abdominalis, qui chronicam, quae subest, labem absolvunt, tempore paroxysmi caput afficere possunt per sympathiam; irritamenta autem hac ratione enata ipsum caput subinde petere, eique insensa tum esse, non minus est probabile. Monendum itaque esse putavi, chronicum, qui subest, mali fontem remotissimis fane partibus inhaerere, irritamenta autem, quae inde propulsiunt, ipsum quoque caput petere posse. Ipse cl. *Tissot* ubi de hemicrania vera sermonem habet, *metastasis* fecit mentionem, atque tum morbi anomali commutationum, de quibus superius dixi. Neque ideo omnino negan-

ganda erat idiopathica huius doloris origo. Anomaliae, quae in hunc morbum subinde cadunt, argumentum potius praebent, sentinam mali subesse chronicam eamque abdominalem, atque irritamenta ibi enata alias quoque partes (quidni et caput?) petere posse.

### §. XVIII.

Sed dicam exactius, quae circa causas huius mali probabilis mihi sit theoria. Dicam primum paucis, illustrabo tum pluribus.

Itaque in hemicrania prae reliquis omnibus memorabili (singulari nempe, quem sibi sumit, decursu, aliisque, de quibus alibi dixi, criteriis conspicua) *fontis mali subest chronicus, isque potissimum abdominalis*. His enim praeprimis partibus labes quaedam inhaeret morbosa ac chronica. Neque solum ventriculum ista spectat, sed omnem subinde, quam late ista patet, digestionis officinam. Hic enim altas radices malum agere consuevit. Haec autem *malorum*, ut ita dicam, *sentina abdominalis* ortum praebet *materiis morbificis* atque *irritamentis*, quibus tum partes remotissimae notabili ac varia ratione corripì possunt. *Corripiuntur* autem *his* in casu hemicraniae regularis et dicti generis *nervi supraorbitalis* ramuli, partim sympathica, partim et ea, quam idiopathicam dicunt, ratione. His oritur illud, quod hemicraniae vocant insultum. Isque, si regularis fuerit, respectu mali quod subest, certo respectu salutaris habendus est. Ista enim *nervi supraorbitalis* affectio atque *reactio* in aegri salutem quodammodo vergit, removendo verbi gratia ista irritamenta quae a sentina, quam dixi, abdominali inducta fuerunt. Morbum dicis *hemicraniae* insultum et forte diceres *arthritidis* uti *podagrae* insultum, si ex eadem labe abdominali, ac simili omnino, quam dixi, ratione, *aliae* (non capitis) *partes* doloribus afficerentur. Sed liceat haec singula pluribus illustrare; 1) nempe, affici, quos dixi, nervos 2) caput vexari per sympathiam, et fontem malorum subesse chronicum atque potissimum abdominalem 3) idiopathicam capitis affectionem itidem negari in hoc morbo non posse; 4) magnum hemicraniae dictae, ac verae arthritidis *insultus* intercedere affinitatem, et quae sunt reliqua, his passim interponenda vel adiicienda.

### §. XIX.

Par quintum nervorum seu nervos trigeminos in cavo adhuc cranii in tres ramos abire constat, ramum nempe orbitalem, maxillarem superiorem et infe-

feriorem. Iam primus iste huius est loci. Ramus nempe *orbitalis* ad orbitam tendit per rimam orbitalem superiorem atque in tres ramos dividitur. *Primus* nempe, qui dicitur *frontalis*, ex orbita in frontem exit per foramen superciliare, *alter*, *lachrymalis* dictus, ad glandulam lachrymalem, *tertius* denique sive *nasalis* per foramen orbitale nasi in cavum narium abit. Itaque, si porro perpendas, quibus tum partibus ramuli isti nervorum prospiciant, quaeque sint, quae in hemicrania doloribus cruciantur partes, (frons nempe, regio temporalis, oculus etc.) denique, quae saepius his superveniant symptomata, uti lachrymatio vel calor pinnis narium molestus: dictum certe nervorum *decursum* non solum *doloribus* sed aliis quoque, quae in hoc morbo eveniunt, *symptomatibus* apprimè consentaneum esse, peripicies. Neque incongruum esse puto, *sensationes* quasdam in auxilium hoc loco vocare, quas de medico, artis anatomicae peritissimo, ac hemicraniae paroxysmis saepius cruciato, relatas esse video a cl. *Tissot* (l. c. 536.) Is nempe pro iis, quae sentiit, dictos nervos a doloribus affici, et minimos eorundem ramulos, quin plures, quam in sectione cadaverum oculis percipi ac demonstrari solent, istis doloribus cruciari fassus est. Pro ea itaque, quam proprio sensu percepit, doloris per minimas quasi partes ambulantis ratione, plures potuisset nervorum ramulos depingere, quam quidem vulgo oculis percipiuntur in sectione cadaverum. Atque hac quidem observatione alia adhuc ratione uti posse mihi videor. Nonne *huius generis sensationes* mali ortum *sympathicum* comprobare tibi videntur? Mihi certe videntur, analogia aliisque argumentis freto. Siquidem enim *minimae partes ea ratione* sensationibus afficiantur, qua quidem ille affici visus est Anatomiae peritus, materies morbifica ipsam partem ita *sentientem* non facile occupabit. Subesse tum potius videtur liberior quidam *nervorum*, ut ita dicam, *lusus, motus* volo nervorum in minimis partibus multifarios, sensationum in his minimis partibus, quibus summa tamen ac subtilis quaedam vivacitas inest, causas, nulla itaque ratione impeditos, hinc, ut tales omnino esse queant, a *caussa* sympathica inductos.

Neque vero his unice insistere animus est, ut mali originem consensualem evincam. Sunt huius generis argumenta longe alia ac graviora, quibus tamen subtiliorem istam animadversionem praemittere placuit.

#### §. XX.

Ventriculum in hac aegritudine affici, ibique materias morificas colligi, capiti per sympathiam tum infensas: multa testantur. Ventriculi im-

puri symptomata paullo ante singulos paroxysmos saepissime praevia, iisque focia sunt aut pedisequa. Laesae digestionis phaenomena, per omnem aegritudinem plus minusve subinde conspicua, penitus nonnunquam evanuerunt, neque tum amplius reversi sunt hemicraniae insultus, nihilque eorum contigit, quae ad anomalias huius morbi referenda fuerunt superius. Prae reliquis tamen memor sis vomitus, quippe quo singulos hemicraniae paroxysmos quam frequentissime ac subito solvi constat.

Quidquid autem illud sit, quod vomitu tollitur ac simili quocunque motu critico, ad singulos paroxysmos spectante: eius tamen *chronicum quemdam fontem corpori inesse* oportere, facillime perspicitur. Singuli enim paroxysmi recurrunt, non praecavente, qui singulos forte ac omnes paroxysmos solvit, vomitu. Idem probant aegritudinis anomaliae superius descriptae, earumque effectus saepissime observati. His certe omnibus *peculiaris* quaedam ac *chronica corporis labes* ita certissime evincitur, ut nullus superfit dubitationi locus.

Chronicum autem hunc mali fontem *abdominalem* potissimum esse monui. Sint argumento, quae dicam. Symptomata laesae digestionis modo praevia modo focia. modo pedisequa esse singulis paroxysmis, bene constat. Ruetus acidi aliaque impuritatum primarum viarum indicia ita constanter passim praevia fuerunt, ut pro his aegri praesagire potuerint paroxysmum proxime instantem. Dolor ventriculi primum subinde paroxysmi symptoma absolvit; is passim aegrum e somno excitavit, atque tum insequutus est hemicraniae insultus. Vide exemplum apud cl. *Tissot* l. c. pag. 516. aliud ibidem p. 532. Vomitus singulos paroxysmos frequentissime solvunt; recurrunt hi; neque igitur dubitabis, in *iisdem* partibus *labem* subesse, a quibus exspectanda est frequentissima ista primarum viarum conspurcatio, hoc est, in ipsa digestionis officina. Addas his periodicam mali invasionem, nusquam certe frequentiore, quam in huius generis morbis, quibus sentina quaedam est abdominalis; morbos porro abdominales ad finem aegritudinis, fere uti in podagra inveterata, saepius conspicuos; modum sensationis in hemicrania superius commemoratum (§ XVIII); utilitatem remediorum, quae organis, digestioni inservientibus, prospiciunt, eadem nempe purgantium, obstrueta resolventium, debilitati aliisque eorum morbis medentium, hinc eorum, quae dicunt stomachica, aliorumque; denique magnam istam affinitatem, quae veram arthritidem et nostrum morbum manifesto intercedit. Pluribus exponenda haec

venit paullo inferius. Sed liceat dictis maiorem fidem admonitione quadam conciliare quam circa *universum* quoddam morborum *genus* adicere placet. Illud volo morborum genus, in quibus labes quaedam partium chronica subest, et magis occulta, unde per intervalla irritamenta emergunt, aliis iisque remotis partibus insensa, et quibus similis est omnis aegritudinis, ac dictae hemicraniae, decursus, atque relatio critica, labem, quam dixi, et manifestos mali insultus intercedens. In omni *huius generis* aegritudine labem, quae subest, chronicam nusquam prius maiori probabilitatis gradu quaeras, quam in partibus digestionis inservientibus. Quemadmodum enim in *sana hac digestionis officina* multa fiunt ac peraguntur occulta magis ratione, quae tum in *manifestas* vitae ac sanitatis partes sensim sensimque emergunt ac convertuntur: ita quoque *morbosa* eadem *officina* labem saepissime contrahit, morbificas materias aliasque morborum causas sensim et magis occulta ratione inducit, ac demum per intervalla partibus subinde remotissimis vim suam infert, in his certe partibus fatis superque tibi conspicuam. Ne multa, est *sanae*, est etiam *morbosae coctionis* officina primaria.

#### §. XXI.

*Qualis* autem sit ista *labes*, quae subest, chronica atque *abdominalis*, ne autumare quidem placuit celeberrimo *Tissot*, ceteroquin omnia ac singula multo exactius perscrutanti, quam quidem factum id esse videbis ab antecessoribus. Ego certe omnia huc referrem, quae ad *laesam digestionis officinam* facere videntur, ac ipsa potissimum huius generis organa spectant, iisque altius inhaerent. Neque igitur viscerum obstructionem, neque debilitatem, nec aliud quidpiam huius generis excluderem. Iam vero multae sunt huius generis aegritudines abdominales, neque tamen praesto est dicta hemicrania. Quae igitur est huius differentia specifica, si ad has causas respiciamus? Vides facile, hisce moveri quaestionem haud parum obscuram ac subtiliorem, A dicto tamen fonte abdominali atque ab aliis, quae circumstant ac suum conferunt, corporis conditionibus, eam systematis nervosi partem, quae nervum, quem dixi, orbitalem atque nervos abdominales intercedit, sive ita *mutari* existimarem, ut, malo abdominali tum crescente, dicti potissimum capitis nervi vim morbi experiantur, sive saltem id effici, ut, sine interventu huius consensus morborum ac prius enati, in dictam tamen nervorum partem vis morbi dirigatur.

## §. XXII.

Si neque vomitus, neque aliud, quod primarum viarum affectionem manifesto spectat, symptoma observatur in hemicrania, reliquis autem, quae dixi, criteriis stipata: exinde tamen nondum concludere poteris, nullam subesse causam paroxysmi sympathicam. Vomitus enim, qui paroxysmum frequentissime solvit, reactione quadam nervorum effici videtur. Itaque subinde non nisi huius generis reactio abesse poterit, ut ideo vomitus sequi non queat. Id quod vel ex eo colligas: quod in hoc potissimum casu nulla omnino re paroxysmum leniri potuisse observarunt (Vid. cl. *Tiffot*, III. 2. 519.) Tum etiam hemicraniae insultus alia ratione, quam vomitus interventu, mutationem quandam salutarem in partibus abdominalibus inducere poterit. Omnium autem minime ab isto momento, vomitus nempe absentia, ad chronici, quem dixi, fontis absentiam concludere licet. Ab acrimoniis v. g. inde enatis idiopathicam quoque hemicraniam enasci posse supra iam monui; id, quod aliis quoque, qui passim in hoc malo contingunt, motibus criticis, uti largo sudore, versus finem paroxysmi proficiente, satis probabile reddi videtur. Neque igitur propterea de fonte mali chronico eoque abdominali dubitabis, quod vomitu subinde haud solvantur dictae hemicraniae insultus.

## §. XXIII.

Argumentis autem, quibus probare nonnulli studuerunt, hemicraniam morbum absolvere idiopathicum a rheumatica sive arthritica materie enatum, in alium potius finem uti licebit; ad perspicendam nempe, quae nostram hemicraniae speciem, ac veram arthritidem utique intercedit, affinitatem.

Crescente aetate haud raro arthritici insultus sequenti sunt hemicraniae paroxysmos olim solemnes. Remedia externa, quibus manifesta vis est, morbosum quemdam humorem, ad caput delatum, derivandi quin excernendi, saepius profuerunt in hoc malo, non adhibitis remediis sic dictis stomachicis. Subiecta sensiliora fibris tenerioribus stipata, atque ad malum hypochondriacum proclivia, non solum ad arthritidem sed ad nostrum quoque morbum disposita esse videntur; eadem enim utrumque malum saepissime invasit.

Prae ceteris illud fere argumentum eminet, quod hemicraniae insultus haud raro tandem convertantur in paroxysmos arthriticos manifestos.

At-

Atque hic quidem mali decursus *Ioanni Iunckero* maxime solitus visus est et ad suetam aegritudinis, quae subest, naturam spectans. Cuius quidem sententiae adversarius utique est *cl. Tissot*; tenendum vero est, nihil praeterea hunc Auctorem monuisse, nisi illud: *non saepe a se* observatum esse hunc mali decursum. Addit hac data occasione *cl. Ackermann*: illum sane morbi decursum theoriae, quam amplexus est *cl. Tissot*, non satis respondere, nisi forte arthritidem aequae ac ipsam hemicraniam ex uno fonte, ventriculi nempe affectionibus, derivare velis; id, quod passim quidem evenire existimat.

Licebit certe haec omnia conciliare atque componere, quae repugnare sibi videntur; dummodo ad tria ista momenta respicias, quae dictis adiiciam.

*Primum* nempe non inhaerendum est solius ventriculi affectionibus. Tum vero sermo sit de *arthritide vera* atque de nostra hemicraniae specie praeter ceteris omnibus memorabili. Denique a plethora quidem similes quasdam aegritudines passim induci fatendum erit, sed non nisi similes sunt dictae hemicraniae speciei. Deflectunt ab eadem respectu criticae illius, quae chronicum fontem ac mali insultus intercedit, relationis; quin etiam forte respectu decursus symptomatum, aliorumque, quae in sensus cadunt. Movebo haec dubia inferius. Habito autem hoc, quem dixi, respectu, de dicta utriusque aegritudinis similitudine non dubitabis. Sed addam plura, quae huius loci sunt, argumenta.

#### §. XXIV.

Dictae hemicraniae conversiones ac anomalias iis, quae in arthritide vera eveniunt, simillimas esse, certissimum est, quod huc referas, argumentum. Sis memor effectuum, quos istas anomalias sequi, enarravi superius. Repetam ex his potissimum illud, quod pectus spectat, incommodum, sensum nempe pectoris constricti. Venit certe tibi in mentem quae de angina pectoris exposuit *cl. Elsner*.

Observantur denique, in arthritide aequae ac in ea, quae huius loci est, hemicrania: iidem fere ac primum regulares mali insultus, per intervalla aegris molesti; idem sanitatis sensus, finitis mali paroxysmis frequentissimus; eadem subinde partium, quae doluerunt, teneritudo; similis quaedam proclivitas, in liberos progagandi morbi seminia; eadem contagii veri atque caussarum, quae externae sint et paroxysmos inducant,

foli-

solita absentia; eadem fontis, qui subest, chronici et diſtae relationis criticae ſuſpicio; ſimillima iſta, quae digeſtionis officinam ſpectant, phaenomena, paroxyſmis potiffimum praevia; ſimiles mali conversiones in caſu aegritudinis anomalae atque a regulari decurſu tandem deflexae, atque eadem fere in ſenectute impotentia, ſolitos mali inſultus ac motus naturae, quibus iſti olim ſolvi conſueverunt, abſolvendi.

Conferas denique his omnibus ſingulas quasdam morbi historias; neque certe amplius dubitabis. Vt unam adiiciam, cuius facta eſt mentio in *Historiis morborum Vratiſlaviensium* (v. *Tiſſ.* l. c. 590.): referendus huc eſt *arthriticus* quidam, qui vehementiſſimi doloris impatiens, balneis frequentiſſimis malum in fugam dare ſtudebat. Finem propositum obtinuit. Evanuerunt dolores arthritici. Iam vero hos excepit atrociſſimus capitis dolor, *ſiniſtram* nempe capitis partem exerucians. Per horas duodecim ad quinquaginta uſque aegrum exeruciabat: tum ſequebantur vomitus, urina craſſa, hiſque ceſſerunt paroxyſmi. Maxima ſuperſtes erat partium ſenſilitas, ut ferre non potuerint manus contactum. Subinde quoque in nucha tumor comparebat rubri coloris, cuius ſumma itidem fuit ſenſilitas. Monendum denique eſt, hunc aegrum iam ante inſultus maniſeſto *arthriticos* capitis dolore laboraſſe.

Vides ſane, quam egregie diſta comprobentur ſingulari hac morbi historia. Notatu digniſſima ſunt: dolor iſte capitis maniſeſtae arthritidi praevius; hemicrania pedifequa; vomitus criticus ac iſta partium, quae doluerunt, teneritudo.

#### §. XXV.

Nonne autem *plures* ſunt *hemicraniae*, quae diſta ratione incedit, cauſſae therapeuticae, praeter eam, quam dixi? an forte aliae huius generis cauſſae non minus ea frequentes ſunt atque occultae? Si ita res ſeſe haberet, non eſſet, quod iſtam ſpeciem hemicraniae ſedulo diſtingueres in ſyſtemate aegritudinum naturali. Niſi enim propter eiſdem characteres ad memorabilem quandam cauſſarum, quae therapeuticae ſunt, conditionem valeat conſuſio, ad cauſſam nempe huius generis vel unicam, vel certe magis occultam, atque una alterave, eaque ſatis maniſeſta cauſſa excepta, ceterum ubivis aſſumendam: iſtis quoque hemicraniae cuiusdam criteriis haud dirigitur curatio, nec igitur eſt, quod hanc morbi ſpeciem ſedulo diſtinguant medici artifices.

Inſtituto autem huius rei examine, aliter eam ſeſe habere obſervabis. Ita-

Itaque primum morborum quaedam historiae exstant, ubi morbus ad dictum hemicraniae decursum omnino accedere atque a *plethora* promanare visus est Auctoribus.

Ita v. g. ab anno duodecimo ad decimum sextum usque aeger quidam perpeffus est huius generis insultus hemicraniae. Tum vero evanuerunt isti paroxysmi, subsequuta narium haemorrhagia. Anno decimo nono cessavit haec sanguinis excretio; atque mox reversi sunt hemicraniae insultus. Post sex autem menses iterum locum fecerunt dictae narium excretioni. Retulit hunc casum cl. *Tiffot* p. 545. 1 c.; istis autem praegressis aegrum non amplius observavit. Referre huc itidem posses alias quasdam observationes, nec non eas, quas de criticis subinde sanguinis profluviiis enarravi superius. Sed, age, respicias ad eas, quas his adiciam, 'dubitationes: quibus certe illud efficitur: *nostram* hemicraniae speciem proprium sibi vindicare locum in systemate aegritudinum naturali.

Nimirum, quamvis multis placuerit, plethoram huius morbi habere causam, atque ipse cl. *Tiffot*, (qui tamen a multis aliis causis, huc passim relatis, discessit easque ad veram hemicraniam vix ac ne vix quidem referendas esse, sedulo monuit) plethoram itidem accusaverit, veluti causam hemicraniae, quam *veram* dicit, haud raro therapeuticam: dicto tamen respectu ea fere repugnant, quae nunc subiiciam.

1. Desideratur quam saepissime omnis aegritudinis decursus, ubi plethoram huius morbi causam fuisse, monuerunt Auctores. Neque igitur institui rite potest comparatio, ut videas, an iste fuerit morbi decursus, quem sibi sumit, quae huius loci est, hemicrania. Alias enim hemicraniae species itidem a plethora promanare, uti a multis, quae supersunt, alius generis causis, certissimum est.
2. Vbi non solum a plethora malum promanavit, sed paroxysmis quoque istis regularibus, constanti isto quodam omnis aegritudinis decursu, ne multa, omnibus istis characteribus stipatum forte subinde fuit, qui in nostram cadunt hemicraniae speciem: fons tamen mali subesse potuit chroniens, quin etiam abdominalis, atque hoc demum plethora capitis partialis, quin aliud forte eiusdem vitium organicum (ab aliis itidem passim in hoc morbo accusatum) induci.

Labem certe corporis in hoc casu subesse oportere, nec solam sufficere plethoram, vel ex ipsis mali accessionibus iure concludere poteris.

Re-

Revertuntur enim, quamvis soluti sint singuli paroxysmi sanguinis excretionem.

3. Plethora vel universalis vel ea, quae speciatim capiti vim infert, ad eas causas pertinere poterit, quibus, malo isto, quod dixi, abdominali praesente, illud efficitur, ut partes *capitis* (non vero aliae corporis partes) vim morbi experiantur. Remota itaque in hoc casu plethora *insultus* hemicraniae *causam* tollis, non vero omnis, quae subest, aegritudinis causam.
- 4) Labes ista corporis *minimo quodam gradu* passim locum habere potest; hinc, impeditis ista ratione (n. 3.) paroxysmis, soliti anomaliae effectus non insequuntur.
5. Ex istis causis, quarum complexum fontem chronicum superius dixi, non absolute proscribenda est plethora; sed ista sola producendo dicto malo neutiquam sufficit.
6. Vsum, quem praestitisse visae sunt sanguinis excretionem, certe non unice ab eo repetere licet, quod sanguinis copia his imminuitur. Sanguis certe ab ipsa natura excretus malas quasdam qualitates satis manifesto conspicuas praebuit; eiusque copia excreta certe non tanta fuit, ut a sola hac sanguinis copia, veluti unica morbi causa, multas istas, quae praeviae fuerunt, mali accessiones repetere tibi liceret.
7. Causae, quae sanguinem commovent, in hoc casu paroxysmos hemicraniae *inducunt*, atque *adaugent*, id quod seorsim v. g. monuit cl. Tissot l. c. p. 546. linea 14. Neque vero hoc iis criteriis optime respondet, quae de nostra hemicrania constituenda fuerunt superius.
8. Relatio ista critica, quae hemicraniae insultum ac fontem, unde promanat chronicum intercedit, in hac, de qua nunc lis est, hemicraniae specie vel omnino desideratur, vel certe, siquidem eam adesse velis, labem quandam corporis chronicam, veluti causam, supponit.
9. Plethora causam quandam *intermediam*, causam nempe *paroxysmi therapeuticam* absolvere potest, non vero *aegritudinis* causam therapeuticam atque primariam.
10. Denique, si his omnibus fidem denegare, atque ideo *dictam* hemicraniam a *sola plethora*, veluti unica aegritudinis causa sananda, quandoque promanare, statuere velis: hoc tamen dabis, admodum *manifesta* esse huius causae *signa diagnostica*, ideoque, ubi manifesta haec signa desiderantur, ad causas istas abdominales, easque multo magis *occultas* pro dictis valere conclusionem.

## §. XXVI.

Simili quadam ratione de aliis causis indicandum est, quas passim accusarunt; inprimisque de *causis organicis*, ipsi *cerebro ac partibus*, quae in *vicinitate eiusdem posita* sunt, *inhaerentibus*. Sunt sane saepius detectae sectione cadaverum; malique decursus ad eum, quem dixi, respectu potissimum *refractariae* eiusdem naturae, quodammodo quidem accedit, sed alio eoque vario respectu ab eodem mirifice deflectit. Id quod vel ex eo solo momento intelliges, quod a *sola* praesentia huius generis causarum *periodica* ista mali accessio nequiquam posset promanare. Plurimae itaque dubitationes, quas antecedenti paragrapho exposui, ad hoc etiam causarum genus pertinere mihi videntur, cui istas facillime accommodabis. Ita v. g. causae organicae capiti inhaerentes, rationem subinde continere putarem, qui fiat, ut alia, quae subest, corporis labes *caput* potius, quam *alias corporis partes* dolore afficiat. Causam quandam consensus nervis proprii absolvere possent. In historiis morborum, huc passim relatis, desideratur saepius exacta decursus, quem morbus absolverit, descriptio. Signa, quae huius causae suspicionem movent, magis sunt manifesta, quaeque sunt alia, pro dictis (§. 25.) satis conspicua.

## §. XXVI.

En! itaque paucis nostrum iudicium, e dictis fere deducendum.

Unam hemicraniae speciem ab omnibus reliquis separare student optimi de hoc morbo Auctores. Similem itaque nobis proposuimus finem; distinguenda est una hemicraniae species. Iam vero sermo non est de divisione respectu typi aliusve, quod satis notum est, divisionis fundamenti. Nos, optimorum Auctorum finem sequentes, unam hemicraniae speciem ab omnibus reliquis separandi consilium eo dirigendum esse putamus, ut *posita haec una*, quam copiant, *morbi species suam* quoque ac *proprium* sibi vindicet *locum* in systemate aegritudinum *naturali*. Iam vero, habito hoc respectu, vaga neque proposito nostro accommodata esse videmus, quae de *hemicrania* monent sic dicta *vera*. Quorum itaque *loco* ea ponere suadeo, quae nunc dicam.

## I. NOTIO MORBI, QVEM VOLVIMVS CONSTITVI.

HEMICRANIAE sic dictae VRAE substituenda venit pro dictis HEMICRANIA SEMICRITICA (quodammodo critica) E

E

FON-

FONTE CHRONICO, 'EOQUE POTISSIMUM ABDOMINALE.  
(Sed vide, ne plura repetam §. XV. et §. XVII-XXV.)

## II. MORBI HUIUS CHARACTERES.

Pertinent huc tria momenta. Aegritudo quae huius loci est:

- 1) singulari quadam ratione *decurrit*. (*Dictum* autem intelligo *decursum* quam late iste patet, respectu v. g. caussarum, quae in singulos paroxysmos imperium suetum non exercent; mali accessiones quae subito aegrum invadere solent; anomaliae quae forte contingit, effectus, aliaque multa, superius enarrata. Vid. §. XIV. et XV.

Atque hoc quidem momento *characteres* absolvuntur, quae *cadunt in sensus*.

- 2) a *fonte* promanat *chronico* eoque potissimum *abdominali*.

Vide §. XVII-XXV.

- 3) *insultus hemicraniae* inducit, respectu mali quod subest, ac omnium quae praesto sunt corporis conditionum, *quodammodo criticos*.

Vid. §. XI.

Mali nempe insultus dolorificus *sive* naturae sistit *reactionem* quandam salutarem, *fonti* nempe, qui subest, *chronico*, eiusve *productis* adversam; (removetur verbi gratia singulis hemicraniae paroxysmis *causae* quaedam *morbificae*, quae ex ista chronica labe sensim proveniunt iterumque propullulant remotis prioribus;) *sive* effectum aegritudinis absolvit, alios effectus eosque multo deteriores, ac propter labem corporis quae subest, citra istos mali insultus necessario metuendos, praecaventem, iisque certe multo minus periculosum.

## III. VSVS AB HAC MORBI DETERMINATIONE EXSPECTANDVS.

- I. *Cognosci* potest dicta aegritudo iis, quos *primo* loco paucis tetigi, *characteribus* (II. 1.) atque superius pluribus descripsi.

Fatendum tamen est, primam mali diagnosin suis quibusdam premi difficultatibus. Plures forte mali accessiones observare oportet, antequam certum ferre queas hac de re iudicium. Neque vero hoc obstat determinationibus, quibus hanc aegritudinem distinguere cupio. Fac enim, *multo difficiliorem*, ac *imperfectam* esse positae aegritudinis dia-

diagnosin, quam quidem esse videtur, hoc tamen momento a *ponenda* hac morbi specie minime deterreri, sed ad inquirenda positi huius morbi signa *excitari* deberes.

2. Vbi pro his signis (n. 1.) aegritudo quaedam cognoscitur hemicraniae paroxysmis stipata: statim cogitare licet ad *memorabilem* istam, atque *criticam caussarum relationem*. Neque igitur temere impugnanda est ipsa hemicrania; sed removendum id est pro viribus, *cuius respectu* criticum quid tribuendum est his mali paroxysmis.
3. Valet simul tua conclusio ad *definitam* quandam *caussarum* conditionem, ubi praesto est ista (n. 1.) aegritudo. Subest enim *labes* corporis *chronica*, eaque potissimum *abdominalis*.

Notanda tamen hoc loco seorsim veniunt, quae dicam:

- a) *Qualis* sit ista labes chronica atque abdominalis, pro dictis non omnino obscurum est. Habes igitur, quod arte impugnes. Vt paucis dicam: *prospiciendum est organis digestionis inservientibus omni*, quae data est ac prae reliquis congrua videtur, *ratione*. (§. XX.)
- b) Fac etiam, nobis *omnino* obscurum esse, quid illud sit, quod istam labem absolvat: (id quod non est): utilissimum tamen esset, mone-re, in dicta aegritudine (n. 1.) labem quandam semper subesse *chronicam*, cuius respectu hemicraniae paroxysmi quodammodo critici habendi sint. En! certe memorabilem caussarum relationem, quamvis etiam, quod reliqua spectat, omnino esset obscura. Id quod tamen non est.
- c) Hemicraniae, dictis (n. 1.) quodammodo similes, a *plethora* quidem passim induci videntur; *aegritudo* autem vel ab ea, quam diximus (n. 1.) manifesto *discedit* (respectu decursus, ortus etc. etc.) vel *non valet* in hac aegritudine *memorabilis ista*, quam dixi, *caussarum* hemicraniae aliarumque quae chronicae sunt, *relatio* (n. 2.) vel denique sistit plethora causam quandam intermediam (ab alio fonte chronico inductam) therapeuticam tamen et *signis suis facillime cognoscendam*. Vbi vero hoc non valet, ad *occultum* istum fontem abdominalem, ad huius et hemicraniae relationem quodammodo criticam, hinc igitur ad *definitam* quandam et *caute instituendam* mali *curationem utilissima* valet conclusio.

d)

- d) Vbi forte in simili mali decursu (n. 1.) *causae* latent *organicae* capiti inhaerentes (de quo tamen dubitandum adhuc est) hae quoque signis (cerebri nempe vitiis, aliisque) multo manifestius sese produnt, atque, quod caput rei est, *medelam respuunt*.
4. Hinc igitur vides, praeter dictam causam therapeuticam vix aliam quandam in hoc malo (n. 1.) superesse; ac singulari prorsus ratione dicta morbi determinatione *curationem tuam dirigi*. Hinc aegritudini, cui ista competit determinatio, in systemate morborum naturali suus est ac proprius locus, nisi nostris conaminibus paratus, novo certe eruditorum studio parandus (n. 1. et n. 3. b.)

## §. XXVIII.

Iam vero, si ad *reliquas* omnes *hemicraniae species* respicere velis, *causae* earumdem supersunt satis multae. His vero aequè supersedeo ac aliis, quae historiae hemicraniae, si generatim eam spectes, utique vel adiaci vel superius interponi potuissent. Neque e singulari ista causarum consideratione ita proprius usus redundare potest in artis medicae exercitium, qualis ex ista huius mali *specie* emergit, quam quidem seorsim hucusque consideravi. Sunt enim tot hemicraniae *causae*, quot generatim de capitis dolore notari solent in pathologia. Plures ex his satis frequenter etiam obveniunt; ideoque iam ex hoc respectu multo aliter rem sese habere vides, quam in memorabili ista hemicraniae specie. Itaque haec et reliqua silentio praeterire, scripta tamen nonnulla, ubi et haec passim exposita videbis, adiacere placet.

*Christ. Henrici Schobelt*, tractatio de Hemicrania, Berolini 1776.

Abhandlung über die Nerven und deren Krankheiten von Herrn *Tissot*, deutsch herausgegeben von *I. Chr. Gottl. Ackermann*, III Band. 2 Theil. Leipz. 1782. p. 509 - 590.

*C. A. Nicolai* et *C. P. Fischer*, Historia Hemicrania, Ien. 1785.

*Fr. Hugo Chr. Loeber*, diss. sist. hemicraniae aetiologiam etc. praef. *C. A. Nicolai* def. Ien. 1786.